

neque indirecte fuerit quidquam exactum aut peritum, liberalis videtur esse largitio. Videant ergo Vicarij an efulenta & poculenta sint argenteæ pinnae, aureæ glebæ, si à litigantibus ingerantur. An paucis duratura diebus, quæ prioris generis sunt, & eorum replent apothecas. An liberaliter donata, quæ occasione contiuuorum expectantur, licet oblato nonnumquam pretio; sed

non admisso, aut certe modico, quia vel vterioris remissionem faciunt Indorum Parochi, vel ab Indis talia sunt exiguo dato pretio extorquenda potius quam emenda. Et re coram Deo expendenda dispciant quid sint ei, qui non irridetur, responsuri, &c. Nos illos in consideratione ad alia facturi gradum relinquamus.

TITVLVS XV.

DE VISITATORIBVS EPISCOPORVM.

Visitationis scopus ex Concilio Trident.



Illis inquam, qui ab Episcopis mittendi sunt, dum per seipos nequeunt illi annis singulis suam diocesim visitare, aut saltem biennio, si aliud non patiatur eius amplitudo, vt decernitur in Concilio Tridentino Sessio- ne 24. Cap. 3. de Reformat. Quod quidem & in Indiis ita faciendum, quia in Regulâ generali non inueniuntur exceptæ; neque sine grauibz stare inconuenientibus potest, vt Parochorum, præsertim Indicorum, visitatio vltra biennium protrahatur. Si tamen Visitatores futuri tales, de quibus confidi merito possit, Episcoporum non solum præsentiam, sed & zelum & diligentiam suppleturos, de quo dictum Titulo 13. num. 63. & de quo etiam luculenter Concilium Tridentinum vbi supra, vbi cum sic dicatur: Visitationum autem omnium isharum precipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis heresibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cetera prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Sic Concilium, visitationum scopum sanctè & sapienter executum. Cùm inquam sic dicatur, ab eo quàm longissimè absunt, qui nullo ad illas alio mouentur intuitu, quàm turpis quæstus, ex quo fit vt nihil ex prædictis sperari possit, sed vt, quæ remedio indigent, ad deteriorem statum, ijs coniuuentibus, redigantur. Satiùs ergo fuerit visitationem omitti, quàm huiusmodi futuram destinare.

Auaria illi maxime aduersatur, quæ mentes obnubilat.

Ioan. 13. v. 30.

D. Ambr.

D. Cyrill. Alexand.

D. August.

Psal. 18. v. 2.

2 Obscuros & tenebrosos reddit homines cupiditas: vnde & Iudas eiusdem impulsu ad sacrilegum contractum explendum egrediens, & sic Magistrum, Lumen de Lumine, traditurus, talis ab Euangelista proponitur, dum ait: Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo: erat autem nox. Ioan. 13. v. 30. Vbi quidem non sine mysterio additum noctem tunc fuisse, cùm Iudas auaritiæ stimulis actus exiuit. Patres & Interpretes multi considerant, ex quibus D. Ambrosius Lib. 2. de Cain & Abel Cap. 4. sic scribit: Non solum exiuit, sed continuo, & nocte exijt. Nec mirum si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat. D. Cyrillus Alexandrinus Lib. 9. in Ioan. Cap. 19. sic etiam ait: Hac de causâ festinat, & impellit etiam Iudam, cùm post panem omnino separauerit, tum moram tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit. Sic ille. Vbi & audiendus D. Augustinus Tractat. 62. in Ioannem, ita scribens: Erat autem nox. & ipse, qui exiuit, erat nox. Cùm ergo exisset nox, ait IESVS: nunc clarificatus est Filius hominis v. 14. Dies ergo dies eructauit verbum, id est, Christus discipulis fidelibus, vt audirent eum, & amarent sequendo: & nox nocti annuntiauit scientiam, adest Iudas Iudæis infidelibus, vt venirent ad eum, & apprehenderent persequendo. Hæc diei illius clarissimum lumen, cuius & illud paullo ante præmissum: Cogitauit pecunie lucrum & inuenit anime detrimentum. Inde ergo nox, & inde etiam nebulones, qui ad visitationes egressi, nihil nisi lucrum pecuniæ cogitant, ex quo suarum, & multarum etiam aliarum animarum inueniunt detrimentum. Et quorsum hæc, cùm visitationes lumen ad illuminationem gentium, afferre debeant, de quo Zacharias Baptistæ patens suo in Eucharistico Cântico sic locutus: Visitauit nos Oriens ex alto.

Illumi-

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luce 1. v. 78. & 79. Ecce visitationum Ecclesiasticarum notam, Pro quo Illustrissimus Barboja de Potestate Episcopi, Titulo 2. Glossa 10. num. 22. qui audiatur dignissimus, sic locutus: Verus quidem Episcopus, dum exit ad discurrendum per omnes Parochias est quasi sol egrediens ad illustrandas terras, vt videlicet tres actus illos hierarchicos exerceat, qui sunt purgare, illuminare, & perficere. Nam quemadmodum matutinus lucis splendor nocturnas tenebras fugat, ita sancti Pontificis presentia, veluti spiritualis quidam sol, tenebras flagitiorum, & perditorum hominum virtutis sue fulgore depellit. Hæc ille & alia, verus & ipse iam Episcopus, qui nouit facere & docere. Quando ergo Episcopi, quia visitare per se ipsos nequeunt, alios sunt missuri, soles profecto oportet inquirant, vnde & à caligine auaritiæ peregrinos. Quod si non soles inueniant, curent certe per alios, qui videlicet illustrati ab ipsis, soles alij videantur: quales Concilium Limense tertium describit Actio. 4. Cap. 1. De quibus vt dicamus aliquid, quod ad Indicos specialim attinet, sit iam

Luce 1. v. 78. & 79.

Illustriss. Barboja.

Visitatores suos se- les.

CAPVT I.

De Procuracione Visitatoribus tribuenda.

Concilij Limensis 3. decretum circa Procuracionem.



Irea illam Concilium Limense tertium Act. 4. Cap. 2. ita loquitur; id quod Concilium secundum Sessio. 2. Cap. 110. circa idem statuerat prorsus amplexus, Procuracionis nomine ita vnicuique Visitatori competens salarium assignetur ab Episcopo, vt neque de pœnis Cameræ Episcopalis, neque de condemnationibus, visitatori ipsi aut Officialibus eius aliquid proueniat. Sic Concilium: cuius statuti transgressio cùm grauem materiam concernat, & ad iustitiam commutatum spectet, non stabit sine lethali culpa reatu. Debent ergo Episcopi Peruuiani, ex vi statuti prædicti ita facere (aut illi saltem, ad quos Concilij se extendit auctoritas) Debent etiam & ij, & alij, ex obligatione iustitiæ salarium competens Visitatoribus assignare, quia nemo suis militare stipendijs debet: nisi forte aliquis tanti inueniatur zeli, & non quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi quærens, vt velit Deo seruire gratis, solâ pro necessarijs procuracione contentus. Sed quis erit hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Erunt qui sic spondeant, sed non tandem ex illis, qui iuxta Scripturam excutiant manus suas ab omni munere.

Quid si ex pœnis Cameræ.

Quid si salarium non assignatur.

Quod si salarium soluendum ex dictis pœnis assignauerint, in eo grauius Episcopi peccabunt, quia occasionem præbent eas aggravandi; quod inconueniens voluit Concilium remouere. Si autem reuera iustæ illæ fuerint, & stipendium ex iis deductum etiam labori respondeat, non erit obligatio restituendi, quia prohibitio Concilij non reddit actum nullum, vt ex eius tenore constat, iuxta communem doctrinam in hac materiâ, de quâ & nos supra. 4 Si vero salarium nullum assignetur, an debeat stipendium labori reddi, quæstio est, circa quam videndus D. Solorzanus Lib. 3. Cap. 8. num. 59. & seqq. & vt aliquid circa illam dicamus, qui visitationes huiusmodi ambiunt, & magni faciunt dum assequuntur, neque de salario quidquam in pactum deducunt, eò quòd emolu-

mentis sint ministerij huiusce contenti, & ex eo spes promoueat suas pro Præbendis honorabilibus obtinendis, dum inter merita ad illas functiones dictæ numerantur. Mortaliter peccant, si mortuo Episcopo salarium ex spolijs petant, & si consecuti fuerint, ad restitutionem obligantur. Ratio est clara, quia ipsi de salario nihil cogitarunt, nec sub pacto illius seruiuerunt: ergo non debetur. Neque ex famulis argui potest, qui admitti petunt, nullâ constitutâ mercede, sed alimentis contenti, quibus tamen salarium deberi tenent plures, de quo diximus Titulo 8. num. 31. Quia in illis est ratio diuersa, eò quod necessitate coacti id faciant, quia aliter nequeunt vitæ suæ instituire rationem: licet minoris pretij futurum stipendium sit, eò quòd merces vltionæ vilescant. Hi vero, de quibus agimus, inuiti non seruiunt, sed maxime spontanei, vnde nihil præterea illis debetur. Pro quo est Pragmatica Matritensis An. 1616. in quâ decernitur vtalaria non conuenta peti nequeant ab iis, qui Magistratibus, Prælati, aut alijs dominis famulantur, à quibus alias commoditates, vel fauores in temporalibus, vel spiritualibus sperare possunt. Tales enim ij sunt, qui visitationes ob causas prædictas, non solum precibus, sed etiam intercessionibus primariorum virorum, aut etiam nobilium feminarum aucupantur. Si autem rogati munus prædictum obeant, & de salario non agant, pudore ingenuo præpediti; certum est deberi illud ab Episcopis, & posse peti post eorum mortem, aut etiam viventibus eisdem, si necessitas aut quiduis aliud cogat pudoris obstacula superare.

Pragmatica circa hoc spectanda.

Quid quædo emolumenta stipendium aquant.

5 Sed quid si emolumenta tanti pretij fuerint, vt stipendium superent, aut saltem æquent, ab Episcopis conferendum. Respondeo, si emolumenta ex eo acceperint, quod sine obligatione restitutionis obtineri potuit, & est quasi fructus genuinus officij, non deberi salarium aliud, quia merito salarij nomine id conferri potest: & cùm illud ex donatione Episcopi proueniat, sed ipsam in officij collatione procedere, dum aliud non assignat: cùm enim emolumenta huiusmodi salarium æquent, iis compensare laborem intendit, in quo nihil contra iustitiam agit, quandoquidem labor satis est fructu dicto compensatus, vnde superabundans aliud nequit postulari. Aut emolu-

R R

lumentis